

Dissertatio inauguralis medica, de Deo, autore verae medicinae ... / Publico eruditorum examini submittet Heinricus Gerngross.

Contributors

Gerngross, Heinrich.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Christiani Henckelii, [1712]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cwp5s2eq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
DEO, AUTORE
VERÆ MEDICINÆ,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDINAR.
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONGE DIGNISS.

DOMINO PATRONO, AC PROMOTORE SUO
omni Observantiae atque Honoris cultu etatem colendo,

PRO GRADU DOCTORALI,
Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis,
More Majorum Solenni obtinendis,

Ad d. Aug. M DCC XII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Examine submitter

HEINRICUS Berngroß /
GERANUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

RESPECT TO INAPPROPRIATE MEDICAL

THE COLLEGE OF PHYSICIAN

OF THE CITY OF NEW YORK
AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK
AND THE DISTRICT OF COLUMBIA

AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK
AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK

AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK
AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK

AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK
AND THE DISTRICT OF COLUMBIA
AND THE STATE OF NEW YORK



PROOEMIUM.



Cientias & artes, quæ-
cunque circa digniorem aliquam
materiam, & utiliorem, imo ipsa
necessitate commendabilem, sco-
pum, occupantur, non solum ab
his, qui illis quoquo modo indi-
gent, pluris æstimari justissimum
haberi poterit: sed etiam ab iis,

qui easdem discunt aut exercent, diligentius æque, at-
que verecundius, tractari meruisse, nemo credo con-
tradictet. Quemadmodum enim rem, tam per se spe-
ciosam, imo magnificam, quam ingentibus utilitatibus
idoneam, negligenter habere, non magis imprudenti-
am, quam à contemptu, impudentiam, notare posset:
ita acuit è contrario industriam, & concitat attentio-
nem atque circumspeditionem, justa dignitatis rerum
talium existimatio atque æstimatio. Habeant in suo
ordine civiles scientiæ, gradum suæ dignitatis; discan-
turque & exercentur cum decente animi applicatione.
Rerum naturalium studium, sapientiæ atque potentiæ

omnem humanum intellectum transcendentis, tot tantaque documenta & exempla, contemplari professum, quam attente, quam verecunde, quam sollicite, merebitur tractari, nisi supini stuporis opprobrium incurere parvi ducamus. Quousque hæc consideratio, mortalium animos ad hunc diem tetigerit, & quid inter illos fructus pepererit, ab experientia petendum venit: Nobis, cum nec per tempus liceat, neque vero certe etiam usquam placeat, defectum mortalis peccatoris, circa hanc sapientiam atque prudentiam universim accusare, fatis erit uno solum, quamvis certe non postremo, exemplo commonstrasse, quam iustum, æquum, utile, imo jucundum esse possit, secundum has considerationes, medici studii veram cynosuram expendisse. Nempe, cum INAUGURALIS speciminis eligendum esse thema, arrisit nobis imprimis, non speculabunda aut otiosa, sed multo prorsus & egregio usui apta, consideratio, cum antiquæ gentes non dubitaverint, Medicinam ad Deos autores referre; nempe divinitus præmonstratam quasi & ostensam, arbitrari: Visum est nobis, penitus totam rem perpendentibus, eximio usui fore, si è longe firmioribus argumentis, imo fundamentis, ostenderemus, præcipuam utique medicinæ partem, ita manifesto ipsum DEUM autorem habere, ut neque ignorari, nisi per neglectum, possit neque negligi, nisi per temeritatem, atque gravem culpam, debeat. Aget itaque Dissertatio nostra, de DEO AUTORE VERÆ MEDICINÆ.

Faxit autem Ipse solus verus DEUS, ut hæc nostra
stra

fra demonstratio, tam verecundam sapientiæ ejus agnitionem, quam venerabundam observationem, inter mortales, fœneretur.

Thes. I.

Medicæ artis *originem*, ab antiquissimis, *Mythicis* seu fabulosis, historiarum primordiis, non solum tanquam in genere ad Deos, sed etiam in specie, ad *Apollinem* seu *Phœbum*, relata esse, fidem faciunt Poëtarum antiquissimi; à quibus traditio illa, longâ serie posterorum, ut ab illis accepta, & transumpta, ita apud hos conservata atque continuata, habetur. Secuti has traditiones etiam soluta Oratione Historiam conscribere orsi, eandem materiam successoribus suis transmiserunt, ut illa, quoties *Apollinis* amplior injecta esset mentio, non minimam partem in enarrandis ejus laudibus, occuparet.

Th. II.

Sicut autem qualescunque has commemorationes aggressis, velut in medio relictum esse apparet, utrum *Apollo* aliunde *divinitatis* opinione potitus, propria illa sua dignitate, arti huic etiam decus conciliare potuerit; an vero, è converso, ipsa artis hujus inventione, aut peculiari cultura, *divinitatis* laudem ipse consecutus sit: ita frustra certe est, ex hujusmodi obscuris & ambiguis initiis, solidum aliquid atque certum, eruere, nedum constituere velle. Tanto magis, cum longo post *Apollinem* intervallo, *Æsculapius*, utique artis hujus eccellente scientia & peritia, *divinitatis* laudem manifesto consecutus, hoc ipso non vanam reddat suspensionem, quod ipse etiam *Apollo*, potius hac arte similem honorem promeritus sit, quam ars ab illo, aliunde jam adeo claro, dignitatem tantam impetaverit.

Th. III.

Hippocrates certe, ubi de prisca medicina sermonem habet, artis potius ipsius dignitati hoc tribuit, quod ob hanc, nempe non magis utilitatem, quam ipsam necessitatem, & potentem inter angustias mortalium, efficaciam, digna sit visa, quæ *ad Deos autores* referri deberet.

Th. IV.

In sacris, revelatæ scripturæ oraculis, mirum videri potest, nullam propemodum, ut inter DEI populum, hujus artis mentionem fieri, nedum laudationem. Interim *Curâ leproforum, sacerdotum* ordini unice demandatâ, si quidquam artis accessisse probari posset, hanc, tanquam sacram habitam fuisse, appareret: cum autem nihil tale, sed nudam inspectionem atque observationem, innuant sacræ paginæ, non est, quod ex illis de tali artis existimatione allegemus.

Th. V.

Quicquid autem horum sit omnium, cum neque historicam, neque Philosophicam farraginem ad censum vocare, instituti nostri ferat ratio; sufficere nobis poterit, *duo* solum consideratu digna momenta, pro fundamento nostri scopi designare: ut inde tam, quid non satisfacere videatur scopo, quàm, quid ad illum omnino faciat, innotescat. Verosimillimum nempe utique arbitramur, quod potius dignitas artis, è summa utilitate, imò necessitate mortalium, æstimata, primis magis industriis ejus observatoribus, adeoque velut autoribus, prærogativam illam *divinitatis*, conciliaverit; ex opinione videlicet *sapientiæ*, communem sortem ingenii mortalium superare & excedere visæ. Unde cum ambitio, talium velut inventorum, stuporem reliqui mortalium coetus in suum emolumentum acciperet & foveret, probabile est evenisse, ut divinitatis cujusdam opinio, his, velut obfirmata perseveraret

Th.

Interim ex adverso, è diverso plane fundamento, demonstrari omnino posse confidimus, quod *vera medicina*, verum DEUM, creatorem illum universi, & inter tot & tantas ejus partes, etiam hominis, *verum, sapientissimum* æque, atque *potentissimum*, habeat autorem. Unde missa omni reliqua, è minùs fundatis mortalium judiciis, medicinæ æstimatione; hoc imprimis thema nostrum facimus: luculenter nempe ostensuri, quod omnino, non è quacunque *opinione*, sed in ipsa rei veritate, *corporis* animalis, & quod inter reliqua eminentiorem dignitatis gradum tuetur, *humani, conservationi* atque *vindicationi*, artificiosissimum illud summæ sapientiæ tutamen inditum sit, quod, recte totam rem accipiendo, *Medicinæ* nomine intelligi, non magis solet, quam omnino debet.

Th. VII.

Præclarè certe *Hippocrates*, multos quidem *ægros*, asserit, *sine medicis sanari; neminem autem sine medicina*. Et iterum: *Naturas esse morborum medicatrices*. Quibus nempe dictis, manifestum est, agnoscere ipsum, imo constitutuere, differentiam, inter *artem* illam, ut vulgo loquuntur, *in abstracto*, & eandem *in concreto*, considerandam. Sive, ut inanibus mentis abstractionibus via præcludatur, inter *rem* ipsam, proprio certe subjecto inhærentem: & *conceptum* de illa, pro imbecillitate, & partim fœcordia, rem illam contemplantium atque vestigantium, non solum variantem, sed etiam passim deficientem.

Th. VIII.

Sicut enim numerosæ utique res verè existunt, quæ interim ad multorum, imo omnium mortalium notitiam, non perveniant; ita *Medicinam* quoque, dari atque passim celebrari, nihil impedit: utut illam homines non perspectam habeant, aut ad minimum non totam assequantur. Aut, si vel maxime intellectu comprehendere possint, ta-
men

men *potestatem* ejus & energiam imitari, minime compo-
tes evadant.

Th. IX.

Talis enim *revera* est *medicinæ* illius, de qua *Hippo-
crates* dicto loco loquitur, indoles; ut, licet *veritatem* e-
jus, imò *potestatem* mente assequi homo possit: tamen *po-
testatem* hanc imitari, & sui quasi juris, aut *arbitrii*, face-
re, nequaquam pariter ipsi concedatur. Quamvis autem
totam hanc *potestatem* occupare, adeoque suam facere ar-
tem, impediatur: tamen *scientiam* ejus, ita ut alienâ ener-
gia nititur, & *revera* celebratur, intentis debite ingenii &
judicii nervis, intellectu complecti ipsi non denegetur.

Th. X.

Hanc talem itaque *Medicinam*, ut in rerum natura
dari, merito asseveramus; quam tamen totam atque abso-
lutè suæ potestatis facere, & pro suo arbitrio sive imitari,
sive dispensare, atque applicare aliis, posse, *artifici* (nem-
pe secundum omnes illius partes) negamus: ita illius verum
atq; certum *autorem*, ipsum DEUM non solum agnoscimus,
sed ex ipsa quoque rei veritate, ostendemus.

Th. XI.

Ne tamen etiam arti *in concreto*, quæ nempe in *con-
ceptum* non solum, sed & *potestatem* artificis, cadere potest,
quidquam detrahamus; seu potius, *artifici*, tanquam suum
atque proprium, quod aliunde habet, relinquamus: præ-
monemus, quod illa, quæ à DEO pendet, medicina, *uni-
versalior* sit, atque latè patens; quæ vero in *artificem* ca-
dit, nihil nisi *partes* illius, quas artifex *mente* assequi pos-
sit, & qualicunque potestate imitari, comprehendat.

Th. XII.

Porro, ut tantò melius elucescat verus de toto hoc
negotio, sensus, atque solido *conceptui* quadret, quamvis
ipsa res loquatur, tamen verbis repetimus, designare *Hip-
pocratem*, *Medicinæ* nomine, allegatis locis, illam *Energi-
am*,

am, imo justas atque evidentes *actiones*, quibus *immensus* hominum *numerus*, è variis corporis sui læsionibus, ut vulgo loquuntur, *spontè naturæ*, sine conquisitis, & *extrinsecus* sive jussis & præscriptis, sive in substantia suppeditatis, consiliis, aut auxiliis, tamen iterum *liberatur*, & corpus ejus, puritati suæ, atque integritati, restituitur.

Th. XIII.

Certè dissimulare non possumus, quod super hac materia, occasione ipsius hujus moniti *Hippocratici*, imò exemplo ipso hujus viri, non pro dignitate animum advertentibus, omnium seculorum artificibus, aliquid succenseamus. Quantis enim, quotuplicibus, laboribus, incubuerunt illi, ad circumscribendas atque explicandas, multas, nimio leviores, quam hæc est, divi Senis sententias; hanc interim, & rei veritate, & negotii dignitate, longissime aliis prævalentem, sicco, quod in proverbio est, pede prætereuntes. Ita enim certè meritò monendi sunt artis sectatores, ne solis, imprimis in minus numerosa Praxi constitutorum, conscriptorum observationibus, seu historiis pauculis, animum applicantes, interim negligent experientiam, non solum numero immensum quantum majorem, sed etiam hoc ipso ita notoriam, ut vel populus illam affatim perspectam habeat. Ad cujus nempe censum omninò etiam pertinet hoc ipsum negotium, quod è plerisque morborum generibus, ingens hominum numerus, ad sanitatem revertatur, *spontaneo*, economiæ corporis indito adeoque *infuso*, beneficio, *Energie* talis, quod noxium corpori incumbit, *expellentis*, & corpus ab illo *liberatum*, homogeneitati suæ restituentis, imò quicquid huic detractum est, *reparantis*. Cujus actionis, si etiam *modus* & *methodus*, quibus illa exoptatum hunc finem assequitur, solerti scrutinio detegantur, veniet necessario in conspectum, illud, quod summo jure *Hippocrates*, *Medicinæ* nomine dignum judicavit.

Ubi, si simul ad animum revocetur, *duplex* alia *Hippocratis* assertio: Quod *Natura*, a nemine manuducta, aut edocta, ἀπαίδευτος ἴσται, καὶ μὴ μαθήσται, agat & perficiat. τὰ δέοντα, quæ fieri deceat & conveniat: Et iterum: *Naturam* sibi *sufficere*: deprehendet certe in hac ipsa contemplatione *spontanearum* illarum *curationum*, seu totius alicujus morbi superationis atque expugnationis, veritatem horum assertorum. Quando enim, sine ullo *externo* consilio aut auxilio, *propriorum* motuum atque actuum. *Naturæ*, iusta, imò manifesta, efficacia, non solum totus morbus profligatur: sed etiam talibus *modis*, *methodis*, *temporibus* & *successibus*, atque *viis*, quæ omnia tali constitutioni ita quadrent, ut quolibet rationabili consilio, vel reprobari non possint, vel planè (sine peculiaribus *extrinsecus* adhibendis subsidiis) *melius* geri aut perfici non valerent.

Th. XV.

Ubi nempe, ultimo loco, notanda venit differentia, *Medicinæ pure artificialis*, *particularis* atque *specialis*; à *Medicina hac universaliori*, & ad *externam* opem, *essentialiter*, non respiciente. *Artificialis* illa, habet in certis casibus hanc potestatem, ut per *materias*, corpori humano ingerendas, aut *instrumenta* crassiora, huic admoventia, aliquid perficiat, quod *Natura*, *pari* ratione, nequaquam valeat peragere. Interim hæc potestas, nuda *artificiosa* subministratone *directe* absolvenda, adeo certè restricta est, ut valde *particularem* respectum involvat: Paucis, inquam, morborum generibus quadret aut satisfaciat.

Th. XVI.

In plerisque vero etiam hujus generis ab *extra* ferendis suppetiis, manet nihilominus concursus *spontaneæ* illius propugnationis atque vindicationis corporis, non solum
in

in *societatem* advocandus: sed intuper etiam omnino necessarius. Neque hoc solum, verum etiam *præcipui* adhuc negotii architectus. Adeo, aut tota re decenter æstimata, quod in scholis loquuntur, ad ipsum τὸ *Esse*, requiratur, hic naturæ, seu corporis œconomix, ejusque *vitali activitati insitus*, actus, ejusque tota præcipua efficacia: *Artificialia* vero illa subsidia, *extrinsecus* admovenda, vere *materialibus* auxiliis, solum ad τὸ *bene esse*, faciliorem atque commodiorem successum, *spontanei* illius processus, pertineant.

Th. XVII.

E quibus rebus debite perpenſis, cum omnino dilucescat, quod hujus, œconomix corporis *implantatæ* atque *insitæ*, præcipuæ, maximæ, & (nisi *accidentales*, externæ pariter, perturbationes interveniant,) sibi *suffecturæ*, *Energix*, non solum *primæ*, sed etiam *principes*, sint partes, etiam in ordine ad ipsam *artificialem*, *subsidiariam* tantum, medicinam: fit inde luce meridiana clarius, quod illa ipsa *spontanea* Medicina, *νοσῶς* & prorsus *eminenter*, ut ipso effectu, ita nomine quoque, habenda atque dicenda veniat *vera Medicina*.

Th. XVIII.

Hanc ad DEUM *autorem* referre, non christianis tantum, (quamvis his utique primo atque eminenti loco) necessarium apparebit; nempe de *Divina* institutione atque constitutione benedicti Creatoris, affatim edoctis: sed non dissentiant etiam ullius ævi gentiles, quotquot fabellam aliis respectibus fabrefactam, de *Prometheo* corporis humani fabro, vel non acceperunt, vel simplici prudentia circa hanc næniam, interrogare meminerunt, quisnam ergo *Prometheus* fuerit, & uude ille ipse, quisquis tandem fuisset, esse illud suum, habuerit. Ut adeo circa totam hanc assertionem stabiliendam, & hanc institutionem, ad *Autorem*

humani generis primum, DEUM, referendam, nullo amplius opus sit labore.

Th. XIX.

Illud solum, pro meliore hujus rei contemplatione, expendendum superest, quod Divina utique, & *sapientia*, & *potentia* Autore, digna sit hæc, & illi soli par, hujus talis *Energie institutio*. *Potentia* enim utique divinæ, tanquam supremi agentis, fuit, *activitatem* talem Creaturis *viventibus* inferere, quâ negotium tam insigne præstaretur & perficeretur. Illa inquam, ut solâ atque *unâ*, dignum erat, rem *unam* atque solam, tot effectibus parem, producere, & creatis rebus inferere: nempe *MOTUM*, seu *movendi potestatem*.

Th. XX.

Sapientia vero divinæ, uni utique conveniebat, usum & administrationem, *regimen, directionem* atque *ordinationem* *MOTUS*, seu *γνώσις* harum rerum recte & convenienter exequendarum, talem imprimere, ut *Motus* ille, ad quælibet objecta rectè atque commodè dispensaretur, uti *materiis, instrumentis*, & reciproca *proportioni* horum, ad optatum finem, conveniret.

Th. XXI.

Cui vero alii, quam *Divinæ, Sapientia*, conveniret, ad primam illam, planissimam, atque simplicissimam, *intentionem*, has inventiones dirigere & coordinare; ut potius simpliciter, *Motu*, è toto corpore *removeretur* & expelleretur, quicquid illi noxium, aut ab illo alienum est: quam ut longinquis *mutationibus* & correctionibus demum in aliam crasin atque formam redigeretur. Tantò magis, cum abunde præstò sint, quæ *utilia* corpori, atque *necessaria*, esse possint: adeoque absurdum, *refractariis*, aut prorsus *rebellibus* rebus, operam hanc dicare, ut illo intra corpus demum in meliùs, imò in bonum, converterentur.

Th.

Th. XXII.

Cui verò, quam *divinæ, sapientiæ & potentiae* tribuendum, corpus quidem, in tota sua *materiali* constitutione, (propter *fines* atque usus quibus destinatum est) summe *corruptibile*, efformare; & tamen *actum* illi talem adjungere, qui totus effectui hujus corruptionis *oppositus*, indefinenter impediret, ne potentia illa in actum, dispositio in habitum, *corruptibilitas in effectum* corruptionis, deduceretur. Et hoc *incorporeo* illo medio, *Motu*.

Th. XXIII.

Ita enim certè, simul atque totum negotium *Vitæ*, mentis oculis collustramus, statim dilucescit, quod tota *conservatio* corporis, in *admotione*, & exquisitissima (ad suos fines convenientissima) *commotione, conjunctione* atque *com-positione*: alienorum verò, (quantitate atque qualitate,) *remotione*, & è toto corpore iterum *emotione*, absolvatur.

Th. XXIV.

Hoc ipsum, cum ita ordinariè, absolutè pro *conservatione* corporis, à *mediocribus* incommodis & periculis, ipsi sano adhuc corpori indefinenter impendentibus, ita observetur, atque pariter *indefinenter*, in effectum deducatur; Quanto magis fieri debere intelligendum est, quando sive *quantitate*, sive *qualitate* insolentiore, corpori talia incumbunt. Quæ res, quod ita omnino, secundum Divinum illud institutum, tanquam ad amissum, tunc etiam observetur, & iusta proportionem continuetur; & quidem non tam peculiari *nova* quadam actionum *specie*, (nisi quatenus materiæ tunc maxime urgentis proportioni applicatur:) sed *gradu* solum, ita auctiore, prout res præsentes exigunt: quis hinc nequeat perspicere, quod hæc tota *Medicina*, tam simpliciter ut *vivo*, atque *sano* præstando, quam jam magis, *prægravato*, corpori, ita adhiberi solita, illum habeat *Autorem*, qui talis *activitatis* conservato-

vatoriæ, non solum *necessitatem*, sed etiam *potestatem*, atque exequendi *rationem*, corpori huic, nempe ut *vivo* atque diu conservando indidit atque inspiravit. Confer. Dissert. de *Therapia corporis sani*.

Th. XXV.

Scitissime vero utique *Hippocrates*, magnam partem libelli de *prisca medicina*, explevit contemplatione illa, quod, si mortales simpliciter secundum naturam viverent; simplicissimo *viâ*, atque debito rerum *non naturalium* usu contenti; adde, à *violentis* externis satis tuti: non opus foret *externa* illa Medica *arte*. Aut certè, quicquid hic *consilio* subveniendum esset, tam simpliciore rationis usu, quam ipsius experientiæ suâ, minore cum difficultate assecuturi. Ubi etiam inter ita simplices, tam causas quam effectus, aberrationum, longe magis & familiarius, suffectura sibi esset illa *spontanea*, à *Divina sapientia* atque *potentiâ*, corpori concessa *medicina*.

Th. XXVI.

Postquam autem varia cupiditas, corporisque atque animi *intemperantia*, tot flexus atque implicationes, tam *materiarum*, quam *motuum*, homini, præ reliquis animalibus, objecit: tanto minus mirum esse potest, si in rebus ita impeditis, etiam consilii *simplicitas*, sæpenumero longe circumspectiora, atque pluribus respectibus prospectura, consilia atque auxilia, deprecatur.

Th. XXVII.

Quæ res, cum *artificialis* Medicinæ præcipuum objectum constituat; respiciat autem omni modo tanquam primum atque intimum *fundamentum*, *universalem* illam Medicinam, cujus nempe solum moderamen atque *directio*, ad *particulares* tales casus, quam maxime necessaria est: cavere hic tanto magis debet *artificialis* Medicus, ne huius *medicinæ* ignarus, *consulere* illi, *subvenire*, *subsidia* sufficere

ficere, & in justam viam illam restituere atque manuducere, ipse etiam ignoret.

§. XXVIII.

Qua in re, cum præcipuas partes habeat, *animi* hominum ita ægrotantium, perversus habitus; ut periclitationes, quas *intemperantia* & *incontinentia* sibi accersiverunt; *impatientia*, *inquietudine*, turbulenta *inconstantia*, perperam prosequi, & præpostere in ordinem redigere velle, frustra aggrediantur: quin *doloris* aut *molestiarum* *impatientia*, *metus inquietudine*, curarum & moralium intentionum *distractione*, omnem bonam, *placidam*, atque *ordinatam*, intentionem evertente: non solum impares evadant, *tranquillo* illi atque *ordinato* regimini atque prosecutioni, Divinitus constitutæ salutaris illius regulæ: sed pessimis hisce moribus, atque ordinatarum *intentionum* confusione, qua suo corpori damna accersiverunt, eadem ad funestum exitum perducant. Qua de re legi potest Dissertat. de *Frequentia morborum, in homine, præ brutis*.

Th. XXIX.

Sicut enim totius habitati orbis, quoad in cognitionem pervenit, exemplum, assatim testatur, quod homines, in *victus*, & imprimis *animi*, simplicitate & tranquillitate, vivere contenti, à multiplicium morborum proventu, maxime immunes vivant; & hoc ipso, tales quidem, *artificiosi* medici consilium & auxilium, minime expectent: sed soli tales, qui rerum varietate, & *affectuum* irregularitate, tam corpori suo, quam justæ ejus administrationi, impares evadunt: quid alienius esse poterit ab his necessitatibus, quam si Medicus ad has res discernendas & regendas proprie vocatus, viam illam regiam ignoret, ad quam exorbitantes hæ confusiones reduci, & ad illam regulam restitui & componi, unice præstolantur.

Th. XXX.

Quam longe autem absit ab his considerationibus, trivialis *artificiose* medicinæ schola, quodnam majus esse potest documentum, quam duplex illud, HÆMORRHAGIARUM, & ad has spectantium *apparatum* & contentionum; atque FEBRIUM. Ubi in priore, *Hæmorrhagiis*, cum simplicissime rationi obvium existat, *plenam*, nedum insuper *lautam* & *orgasticam*, diætam, cum *otio* atque *desidia*, *quantitatem* sanguinis, ad molestant *abundantiam* deducere posse; importunos autem corporis motus, abundantis sanguinis *turgescentias* exagitationes, & *animi* impatientes atque temerarias *commotiones* & *intentiones*, *excussiones* talium molestiarum, physicè & moraliter, provocare: quæ simpliciore, secundum rationem æque, ac substratam materiam, *methodo*, scopum suum assequi non possint, quam sincera *depletione*, atque abundantia prægravantis *imminutione*: quid alienius hic esse posset, quam *eruptiones* tales, in se ipsis, *directè* & *simpliciter*, pro morbo aliquo habere; & consequenter *reprimendas* illas atque coërcendas æstimare: neque vero justam comparationem instituere, quantò melius talibus, corporis necessitati consulatur: quam si non ad plenum *exitum* pertingentes, interim pertinaci (in genere minimè injusta,) *contentione* adornentur atque urgeantur, *congestionibus*, *restagnationibus*, & polymorphis ulterioribus harum malis consecrariis, (frustrante bonam spem, per impedimenta, apparatu,) multiplicia pathemata producant. Quid vero alienius, à sana simplici ratione atque consideratione, sinistra hujusmodi consecraria, frustrantis bonam intentionem *apparatus*, ad quoslibet potius alias temerè, sed operosè, confectas *causas* referre, quam simplicem illam, *hæmorrhagicæ depletoriae*, justæ insuper, *intentionis*. Et, cum pathemata talia, (simplicem illum *scopum* non impetrantium *apparatum*, luculenta *consecraria*,) etiam manu quasi ducant

con-

contemplationem, ad verum nexum intelligendum, cum circa talia *loca* oriantur, per quæ depletionibus *hæmorrhagicis* (si cætera essent paria) exitus patere posset: tamen illis *causis* mordicus inhærere, quæ cum præcipua hac conditione atque circumstantia, nulla usquam ratione conciliari possint.

Th. XXXI.

Jam, si *crassi* sanguinis, *peregrinum* aliquid, & imprimis certa atque promptiore *noxia* efficacia præditum, insinuari contigerit, aut in hac subnasci; quod valde tempestivis *secretionibus* & *excretionibus*, è *massa sanguinis*, & *toto corpore*, eliminari debeat: hoc autem aliter, quam *auctiore* circuitu sanguinis (sed pro *materiarum*, atque *operationum secretoriarum*, *viarumque* & *locorum*, diversitate, diversimode regendo) in effectum deduci non possit: tamen totum hunc *salutarem* apparatus atque actum, FEBRES inquam, proprie pro *ipso morbo* intueri atque accusare. Imo, cum non solum certæ quædam harum rerum species, nec *possint* aliter, neque *soleant*, ad felicem exitum perducere; *interpellatæ* autem temere, certissima *pericula*, quin certius *funestos* exitus, fortiantur; non *interpellatæ* vero, innumerabilibus exemplis, & vix non hodie per totam orbem notis, feliciter atque *salutariter* exeant: (de VARIOLIS & MORBILLIS loquimur) imo, cum omnes medicationes *artificiosæ*, quibuscunque *febrilibus* commotionibus directe, *oppositæ*, certos *noxios*, *periculosos*, quin *funestos*, exitus fortiantur: tamen his omnibus rebus præfractè neglectis & contemptis, *febrem quæ* talem pro *ipso morbo* venditare: atque adeò neque *consilium* illi idoneum, neque *auxilium* invenire posse: sed in frivolis *empiriis*, & imprudentibus *equivocarum curationum* præjudiciis, tempus, (quod *febri* eripere, aut sine damno

intervenire, nunquam valeant,) non solum terere, sed inanis, & manifesto frustraneæ, artis, jactationem collocare.

Th. XXXII.

Quanto rectius autem, prudentibus, & ad veræ artis decus, gloriosius, acturi essent, si comparatis *magnonumero* bonis successibus, quarumlibet *februm*, ad *impeditos*, & propterea male exeuntes earundem casus; illi potius considerationi animum adjecissent, ut veras causas scrutarentur, quam ob rem, & per quas nimio probabiliiores, *materiarum, viarum, & ipsorum motuum*, culpas, illa *febris*, quæ in *multis salutariter* procescit & exivit, in *pauca* (nam certe manifesta est, sola *Peste* excepta, hæc proportio,) salutarem illum successum atque exitum, non adipiscatur. Certe *Hippocrates*, si in *Epidemicorum* libris, hanc proportionem atque methodum servasset, aurei illi merito dicendi fuissent; quos plumbeos propemodum effecit, posterorum avidentia: dum supplere potius, in quo ille defecerat, obligati, maluerunt, quod facillimum, quia otiosum, est, exemplum ejus sequi, & suis observationiunculis, Hippocraticas locupletare: Interim immanem illum numerum, contrariarum, de paribus *febribus, salutariter* cedentibus, extra omnem considerationem, non solum relinquere, sed revera pessimo exemplo, potius collocare.

Th. XXXIII.

Quid autem alienius dici posset, quam quia plerique homines, quando moriuntur *febrem* sensibus offerunt; propterea *febrem* morbum non solum, sed *mortis causam*, accusare. Cur vero de sua arte, & magnificis auxiliis, hic
tacent?

tacent? Inter quæ media utique, probatissima & abundantissima, ægri *moriuntur*. Habent certè in numerato, quo se excusent; *omnia feci, quæ in mea potestate erant, sed insuperabilis erat morbus*. Recte loquuntur, sed iniquissime judicant. Ergone, quod ipsa Natura, *unicum* habet subsidium & præsidium, idque vigilantissime atque sollicitissime, certe pro sua capacitate, contra verum morbum, nempe *materiam morbidam*, quantum in ipsa erat, exercuit; Propterea damnandum, & ut *mortis causa* diffamandum erat, quia contra *prævalentem* morbi vim, non valuit, sed victum tandem atque subjugatum, succubuit? Rectius profecto Seneca: *morieris*, ait, *non quia ægroas, sed quia vivis*; *Ista te calamitas etiam sanatum manet*. Quis enim non videt, quod eadem paritate, *vitam, mortis causam* dicere possent, quia hominem *ad mortem* usque comitatur. Absona certe discretionis oblivio, inter mortem à febre, & cum febre, aut sub febre: tantò magis, cum eadem febris, quin etiam in eodem homine, *multoties*, in genere verò & in pluribus, infinito numero, sine morte iterum decedat, & immensam imparitatem faciat, si æstimeretur, quot homines febre minimè moriantur, & quot, dum moriuntur, cum febre moriantur. Absona inquam, & jam dudum ipsi plebi non amplius credita, excusatio, *Malignitatis* hoc loco allegatur. Quæ, cum de *materia*, & *indolis* ægrorum *turbulentia*, recte allegari posset; imò sæpe de perversis *consiliis* & *auxiliis*: de *actu* in genere, & quæ tali, salutari, peperam dicitur.

Th. XXXIV.

Supereft, ut Medicinam etiam *artificiosam*, quoad usquam vera est, DEO vindicemus, & ad illum tanquam benignissimum *autorem* referamus. Quid verò hanc in rem brevius dici potest, atque verius, illo, quod *Siracides*

de hac re profatur: *DEUS creavit Medicum, & è terra Medicinam, & Vir prudens non contemnit eam.* METHODUS primaria veræ atque salutaris Medicinæ, ipsi naturæ humanæ, à DEO concessa atque implantata, hætenus à nobis affatim ostensa est; consistens in *matura*, atque rectè *proportionata & ordinata*, *remotione* è toto corpore, rerum noxiarum, & damnorum illatorum, (ad quam *ars*, legitimam inquam prorsus impotens est) *reparatione*, atque harum rerum data *activitate* ac *potestate*, quantum & quousque Illi placuit. Hæc à DEO *creata* est. A DEO *creata*, & tributa, ut homini, *Medico*, est sana ratio; qua hanc rem agnoscere, atque intelligere possit. Ita à DEO *creatus* est *Medicus*. INSTRUMENTA vero atque *media*, nempe *vera medicamenta*, illis *materialibus* potentiis instructa, ut *motibus* illis *salutaribus*, tam *materiarum* noxiarum *præparatione* quam *justorum* motuum *promotione*, subsidio esse possit, a DEO *viribus* his instructa esse, nempe *verò* DEO, christiani non in dubium vocabunt: à *Divinitate*, ne Ethnici quidem contradicunt.

Th. XXXV.

Sed quemadmodum fons omnis *sapientie & potentie*, benedictus *Creator*, *ordine* omnia instituit atque circumscripsit; ita hæc etiam beneficia, *vera*, inquam, *fida*, atque *genuina* medicamenta, ita *ordinavit*, ut cum nulla reliqua sua constitutione pugnarent, sed sapientissimo *ordini* præscripto, unice obedirent. Constituit itaque & *methodum* medicam *salutarem* illam, & *instrumenta*, nempe *remedia*, eo nexu atque *ordine*, ut unum alteri, posteriora priori, exquisitè *subverirent* atque responderent. Atque ita ipse *autor* fuit, qui unus etiam esse potuit, *veræ* Medicinæ.

Th. XXXVI.

Hæc res cum tota sit, & unica, quæ ad *veram* Medicinam absolute requiratur, usum propterea etiam habere debet, amplissimum, atque æstimationem omnium justissimam; nullo neque temerario, neque inconsiderato, *neglectu* prætermittendam. Complectimur autem illum *duobus* fundamentis, nempe quod in scholis loquuntur, *positive*, atque *privative*. *Primo* enim, quam non *verecundiam* injicere debet animo, Medicinæ studium atque usum professo, si meminerit, à summa illa *sapientia* & *potentia*, constitutam esse, ac præscriptam, illam *legem*, quin tributam & concessam *potestatem*, qua humanæ vitæ atque sanitati, non solum consulere & opitulari liceat, sed nulla *aliâ*, nedum *meliore*.

Th. XXXVII.

Quid autem excitare poterit DEI reverentem Medicum, si hoc non excitet, ad intendendos omnes animi nervos, pro perspicienda & comprehendenda hac supremæ sapientiæ particula, & ad usum suum verum, *corporis salutem* & *actionum mentis libertatem*, promovendam. Quantum autem non fastidii atque justæ dedignationis, animo, DEUM venerantis atque proximo bene cupientis, Medicinæ sectatoris, incutere poterit, fœdus ille & abominabilis labyrinthus, æternæ altercationis, & dissensus hominum, circa veritatem artis, tot inanium opinionum atque commentorum gyris atque tricis errantium, & sese aliosque implicantium. Quam profundæ verò contemplationi materiam præbere potest, illa consideratio, cum *veritas* non sit nisi *una*, illam circa *Medicinam*, non solum à tot seculis, reperiri atque stabiliri nondum potuisset;

isset; sed post tot secula demum, in tot tantaque disidia denuò scindi atque diripi, ut à rei veritate, & experientiae fide, omnium hominum observatione, magis magisque recedat. An non autem agnoscet, nusquam temerè hoc fieri, sed Divinae justitiae esse iudicium, quæ neglectis gloriosis suis viis, mortales erroribus suis permittendo, vel hoc ipso, vigilantiores ad venerabundam suæ sapientiae vestigationem, quærat revocare. Hæc planum est iter; nihil devium, nihil intricatum. Hac euntibus, speranda & *intellectus* informatio, & *potestatis* attributio, & in sinceram fidem *commisio*: imò Benedictio, ut omnia feliciter atque salutariter cedant. Hæc immutabilis est; de qua quicquam detrahendo, bonum tamen exitum sibi polliceri, irritum atque vanum.

Th. XXXVIII.

Alterum quod attinet, prospiciat sane sibi & cavere distat, DEUM atque proximum fideliter respiciens, Medicus, ne in vanum accipiat DEI nomen; frivolis rebus, & inconditis, ita adscribens & assignans, tanquam à DEO illis attributa & concessa, quæ non nisi mala fide de illis jactari possint. Ridiculum hoc non dubitamus visum iri temerariis hominibus, si in DEUM injurios hoc ipso esse, ipsos arguamus. Quando per manus traditas, falsas ejusmodi laudes, verbis exornando, atque falso extollendo, sine sua, imo sine ulla, perspicuâ & conspicuâ, experientia, & negligentiam credulis, & temeritatem confidentibus, conciliant. Interim neque tales defuturos esse satis certus sum, qui veritatem hujus rei pro dignitate perpendentes, tandem consilia non solum, sed & auxilia, collaturi sint, & auxilio idonearum deductionum, eò connisuri, ut tandem aliquid amplius, quam nuda vota, stabiliendæ veritati artis afferatur.

Nihil autem hic, ad totam summam rei assurget, nisi *conspiratio* illa, quam in scholis *relationem* vocant, inter *Medicinam* ipsam hactenus laudatam, nempe *methodum* veram, & *instrumenta*, seu *medicamenta* vera, quatenus huic famulantur. ubilibet pro fundamento conservetur. Cui ipsi quoq; rei, ut planior via sternatur, considerandum erit, quod vera illa Medicina, seu *methodus* salutaris, in se spectata, semper respiciat ad *motus* potius *materiarum*; *dimotiones*, & tandem penitus *emotiones*, è toto corpore. Dum autem de *methodo* hic loquimur, intelligendum utiq; venit, quod respiciamus ad conceptum de his rebus, *artificiali* medico necessarium. Quatenus videlicet huic ante omnia opus est, tam *intentiones*, salutaris illis Medicinæ à DEO institutæ, quam *justitiam*, seu *justam conspirationem causalem* ad optatum finem, solide intelligere & perspectam habere.

Th. XL.

Nam in ipsa illa Medicina, *tria* utique insunt; primo *methodus* seu ratio agendi, secundum quam *intentio*, salutaris finis obtinendi, feliciter procedere possit. Secundò, *intentio* agendi in genere, & recte actus suos ordinandi, tanquam *attentio*; illa *ad agendum*, hæc, *in agendo*. Tertiò denique, *Energia* ipsa, seu *potestas* agendi; quæ in genere *Motu*, in specie vero *directione* atque moderamine *motus*, substratis materiis *conveniente*, absolvitur.

Th. XLI.

Ex his rebus præcipuæ sunt duæ priores, quæ in artificialis medici conceptum & considerationem cadant. Nempe primo, ipsa *methodus*, *quemodo*, & *in quantum* illa, *subjectis*, *materiis*, & *viis*: & *objectis*, *depulsioni* & *expulsioni*, vere quadret & respondeat. Secundò, per ipsa singula individua, attenta observatio, an etiam *intentio* agenda

di, & imprimis *attentio*, seu *justa* prosecutio, *directio*, atque moderamen veræ methodo conveniens, fervetur, ut secundum sanam rationem, è *justa* tali collineatione ad præfixum scopum, felix exitus expectari possit? Et hoc tanto magis, cum etiam *artis* potestati hoc concessum sit, ut tam *intentiones* illas, partim *excitet*, partim *temperet*; quàm *directiones*, partim *provocet*; partim propius ad optatum scopum *inclinat*.

Th. XLII.

De ipsa autem *potestate* agendi, illud utique memori mente tenendum est artificiali Medico, quod ad illam ipsam, *positive*, minimum omnium contribuere possit: sed simpliciter tantum *privative*, nempe *difficultates* materialium & viarum corrigendo, ut ita planior via *Energia operatrici* sternatur; ne illa, prævalentibus impedimentis, non solum *vires* suas nimium atterere necesse habeat; aut tot impedimentis, in *intentione* atque *directione* nimium laborando, *confundatur*, & *justo ordine* agendi excidat. Quæ res nequaquam ita simpliciter pro purè *speculativis* habendæ veniunt; quum minus exquisitè consideratæ & discretæ, *artificialis* Medicinæ subsidiarias provocationes atque moderationes *directionum* debitarum, certissime turbent & pervertant. Et in genere *confusio*, an *potestati* ipsi succurrere liceat, an vero solum *intentiones* ejus invitare atque inclinare sufficiat, nihil certe boni in urgentibus consultationibus practicis, post se trahat.

Th. XLIII.

Inveniet autem hac in re, prudens harum rerum æstimator Theoreticus, αἰτιολογόμενος, seu causalium nexuum curiosus, ingens illud argumentum atque documentum, minus *ordinate* procedentium atque succedentium *intentionum* & *directionum* illarum, quæ *Energetico* illi, seu agendi

gendi potestatem habenti, principio, in corpore *humano* magis quam in reliquis animantibus, familiares sunt: nempe *turbulentiam*, circa *intentiones* dictas atque *directiones*, ab *animi*, per individua, moribus & intentionibus, in administrationem corporalium directionum redundantes, & harum justum regimen turbantes. Idque tam *à priori* intelliget, è diverforum hominum, eminenti aliqua *animi* intentionum sive *impatiente*, *inquieta*, *præcipiti*: sive *terrifica*, *meticulosa*, *fluctuante*: utrinque *inordinata* & *inconstante*, *intemperie* conspicuâ: quomodo, inquam, tales sese gerant, tam *ad morbos*, quam *in morbis*, intuitu *ordinate*, aut *turbulente*, *intentionis* & *administrationis actionum* motoriarum, ad assequendum justum *finem* regendarum. Quam *à posteriori*, manifestissima ejus rei exempla deprehendet, ex insigni illa, & vel vulgo satis nota, efficacia *animi pathematum*, in *motuum*, *motuum* inquam *vitalium*, justum & *ordinatum* successum pervertendum. Quibus rebus rectè consideratis longè aberit ab otiosa illa, inconsiderata, & revera Patua, disceptatione, circa *nominandum* principium hoc, & agendi, & ordinate, proportionate, adeoque *judiciosè*, agendi, compos, in corpore, & in corpus. Quod, quocunque tandem *nomine* censeatur, Medicinæ certe nihil quicquam interest: nisi quod intelligenti, exceptio illa: *dirigendam hâc ratione fore medicationem*, *directè* & *immediatè*, in *ipsum hoc principium agens*, ad Metaphysicæ atque Logicæ scholasticos tyrones, remittenda statim comparebit; qui harum rerum rudes erudire possint, quid sit, & quid valeat, *τὸ immediatè*, aut *mediatè*, *τὸ directè*, & *per indirectum*, *τὸ à priori*, & *à posteriori*, *τὸ ad agendum* & *in agendo*, &c. Quas res iterum iterumque, in mediis altiorum dogmatum deductionibus, quod pueris per scabella scholastica debetur, enucleare & veluti præmandere, non fastidium solum, sed etiam justus pudor, ef-

se debet. Scitisimè enim jam pridem *Galenus*, in verbis
simus faciles, dummodo in re conveniamus,

Th. XLIV.

His autem *methodi*, secundum quam procedere debet actio; *intentionis*que atque *directionis*, justis circumstantiis, adaptanda utique veniunt *instrumenta*, nempe *remedia*, scopis his in rei veritate congrua, & *fidâ* efficaciam conspicua. Circa quorum nempe usum, nullo negotio dilucescit, *selectum* potius, quam *luxui* propiorem copiam, commendabilem esse. Unde si in hoc selectu solum illa observetur consideratio, ut tam *evaporista*, propter varios casus civiles, quam *rariora* aut *speciosiora*, secernantur; modo revera *bonæ fidei*, & solidâ experientia comprobata: facile erit carere aut supersedere magno numero aliorum. Et si insuper prudenter secernerentur, si quæ opus sunt, illæ *præparationes*, in quibus quam minimum, sive per *inscitiam*, sive *negligentiam*, errari possit; ab illis, quæ his defectibus magis expositæ sunt. Tolleretur ita simul culpa pejorum eventuum, hujusmodi causis sæpius imputari solitorum. Quibus considerationibus si, tertio, adderetur discretio illo, ubi *simpliciora* talia, atque *leniora*, aut magis *concentrata* & *potentiora*, illa possent, hæc deberent, locum habere: quid superesset, quod vel consilium, vel felicem ejus effectum, in his rebus moraretur?

Th. XLV.

Videtur certè nobis maxime hujus loci esse, laudatio *methodi*, ad has res unice appositæ; Imò laudatio Viri, qui hanc viam jam ingressus, exemplo suo excitare debebat alios, ad eandem etiam capessendam. Est hic in *Herbario* suo, *Thomas Pancovius*; qui, quoties *singulares* aliquos effectus herbæ alicui adscriptos memoravit, *authoris* nomen allegavit, à quo illi celebrentur. Cujus contrarium cum
apud

apud plerosque alios Botanographos, & Medicæ materiæ enarratores, inveniatur; exemplo insigni *Tabernæmontani*, quid habent talia scripta, quo distent à frivolis illis & ineptis circumforaneorum chartis, quibus quisquillas suas credulis plebejis decantant, *Autoritatem*, dixeris. Sed cum notissima hic sit illa autorum ab autoribus transumptio, & scriptorum è scriptoribus exscriptio, quid hæc valebit *autoritas*, in ardua re, vitam atque sanitatem hominis non solum concernente, sed communiter longas moras minimè ferente: Si quid autem nulla fide laudatum fuerit, & neglectis melioribus probatum, certe conscientiam artificis non immunem præstante. Sed illis temporibus commendanda est hæc commendatio, quibus in desuetudinem adductus sit, mos ille propemodum pandemius, certè epidemicus, ut non citius & intemperantius ad scribendum convolent, quam qui ad *benè* scribendum (non in verbis, sed in rebus,) minimum omnium idonei sunt & instructi.

Th. XLVI.

Hac enim demum *methodo* scribendi, commentandi, atque commendandi, obtineri posset, tam quod *verum*, quam quod *justum* etiam & *æquum* est. *Verum*, aut tandem aliquando luculentius pateret, quid experientiæ verè consonum, & usu vere *fidum*, haberi mereatur. *Justum* autem & *æquum*, ut illis sua laus maneret, qui ipsa harum rerum experientia freti, aliis etiam, imo publicæ utilitati, illas commendaverunt. Aut, (si omni cum circumspectione & attentione, sæpius tentata,) bonam spem destituant, malæ quoque fidei nota in illos redundaret, qui genus humanum affaniis suis frustrari, non erubuerunt. Quamvis enim pro certo haberi possit, quod non semper simpliciter *mala fides*, & metiendi protervia, talibus rebus subit; sed sæpissimè *equivocæ curationis* culpa, seu, quod scholæ damnant, *non cause ut cause*, incitiae: tamen
tanti

tanti non est hæc excusatio, ut illa *propagatio* talium rerum ad posteritatem, satis expiari possit. Quamvis autem nimio citius, omnia hæc dicantur, quam discantur, aut in effectum deducantur; est tamen illa etiam dicendi, atque commendandi, summum jus fasque: maxime propterea, ut tandem illa verecundia mortalibus incutiatur, ut meminerint, & memori mente repositum, imò præ oculis, habeant, quod necesse sit, hos defectus, ut *veros* considerare, & ad eorum emendationem animum adjicere. Rectissimè enim *Seneca: Initium est bonæ spei, velle corrigi.*

Th. XLVII.

Tanto magis autem ingenuos animos, DEI reverentes, & quæ ex ipso est, *veritatis*, cupidos, excitare poterit, ad has res gnaviter expendendas atque exequendas, si intellexerint, quicquid in universis his rebus verum atque salutare est, ipsum DEUM, sapientiam ejus, potentiam, & benignitatem, *autorem* atque *fontem* habere. A quo itaque, intellectus harum rerum & sanus atque verecundus usus, exorandus: Et ut ille à vanis atque falsis animum abducatur, & à sectatione fontis talium, falsitatis omnis Patris & patroni, deflectat. Ita demum veræ Arti, juxta cum proximi salute, imo ipsi soli debetur, afferetur & manebit Gloria. Cui nos pro præstito nobis ad hoc negotium clementissimo auxilio, gratias habemus sempiternas.

S. D. G.

